



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apotheca Spiritvalivm Pharmacorvm Contra Lvem Contagiosam Aliosqve Morbos

Wichmans, Augustin

Antverpiae, 1626

Cap. XXIII. De S. Augustino Hipponensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9653

rent quos domesticos appellant Lares & tam publicè quàm priuatim animarum suarum sanguinem funde-
rent. hoc errore & pessima consuetudine vetustatis mul-
tata provinciarum ciuitates laborant, ipsaque Roma or-
bis domina in singulis insulis domibusque Tutelæ simula-
crum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem æ-
dium isto appellant nomine, vt tam intrantes quàm
exeuntes domos suas inclyti semper commoneantur er-
roris. idque per Prophetam suum Isaiam grauissimè Deus
exprobrat Iudæis in viam gentium malè abeuntibus, di-
cens: *Et post ostium & retro postem posuisti memoriale
tuum*, id est, idolum Dei tui, vt illud quasi Tutelæ simula-
crum tam intrans quàm exiens adorares, felicemque ac
faustum regressum & ingressum, id est, omnes actiones
ab eo prosperari posceres. Quod illi perperam falsis dijs
exhibebant, nos id rectè veri Dei sanctis amicis præsta-
mus. nec idcirco gentilizamus, sed gentilium errorem
corrigimus, & ad orbitam sinceræ pietatis reducimus.

Vide Alex.
ab Alexan.
l. 3. genial.
cap. 14.

cap. 17.

C A P. XXIII.

De sancto Augustino Hipponensi Episcopo.

Magnus Aurelius Augustinus, Canonicorum regu-
larium genuinus parens, & Ordinis nostri Præ-
monstratensis diuinus Legislator, etiam in hoc
sacro Sanctorum cœtulo sibi vendicat. De illo enim
ita Cornelius Lancilottus nuper Augustinianorum Ex-
prouincialis & Prior Antuerpiæ: In vrbe Papiensi (reque-
scunt ibidem sacræ eius reliquiæ, eò à Luitprando rege
Longobardorum ex Sardinia solennitate regiâ translata)
iam

l. 2. vitæ
S. Augu. t.
cap. 5.

iam à multis annis inuenitur D. Augustinus depictus cum Pontificalibus indumentis in aula Senatoria, vbi ciuitatis decuriones genu flexi ob cessantem eius intercessione pestem, duodeuiginti faces offerunt; cuius rei vt perpetua foret memoria, ita litteris est prodita:

*Anno M.D.III. Vrbe nostrâ peste seuisimâ afflictâ
desperato irritô, humano auxilio, cœlesti protectori
Augustino duodeuiginti faces albas quotannis oblaturi
nuncupato voto salubrem statum impetrarunt.*

Dignum certè gratitudinis & accepti beneficij argumen-
tum. Sed non solum Italiæ suæ in qua renatus primùm,
& ad quam, denatus diuina quasi prouidentia postmo-
dum translatus fuit, huiusmodi auxiliatricem opem exhibuit,
sed etiam diuersis Hispaniæ ciuitatibus simili malo laborantibus. cum enim ciuitas Guadalaiaria in regno Toletano venenatis locustis adeoque pestiferis magno numero deuastaretur, suppliciter à populo exoratus abegit easdem, primùm à prædicta ciuitate, deinde prope Magaganium in ciuitate Ernani Caualleros, & multò antè urbem ipsam Toletanam extremâ fame laborantem, præsentissimæ morti eripuit. cum enim supplicationes haberet populus & longis ieiunijs orationibusque semet affligeret, omnibus inspectantibus venit S. Augustinus, & veluti alter Moses, de quo legimus quòd flare fecerit ventum qui arreptam locustam proiecit in mare rubrum, ita vt Exod. 10. ne vna quidem remaneret in cunctis finibus Aegypti, pedo pastorali locustas omnes & vim noxiorum animalium, in flumen Tagum fugauit. cuius tanti beneficij ne vquam memoria excideret, ciues Toletani seipso publico voto ad supplicationem annuam obstrinxere, quæ res hisce verbis in fastis eorum tamquam in perenni monumento est comprehensa:

Hæc

*Hac die (Dominica nempe in albis) est nobis obligatio
faciendi processionem usq; ad monasterium sancti
Augustini ex voto facto prolocusta.*

Gom. Lan-
cil. l. 3. ca.
67.

Ios. Pamp.
in chron.
anno 430.

ita Lancilottus ex registro Ecclesiæ Toletanæ, in quo an-
nus rei gestæ annotatur 1268. vbi & subiecit mirāculosam
victoriam quam Franciscus Gonzaga Dux Mantuanus
contra Genuenses ac Philippum Galeatum Ducem Me-
diolanensium intercessione S. Augustini obtinuit. oratio-
ne enim cum voto facta, apparuit S. Præsul Francisco Duci
Mantua, victoriam promittens, quam duabus vicibus ipso
S. Augustini festo die contra Ligures hostes suos est con-
secutus: in cuius rei memoriam vrbs Mantuana S. Augusti-
num patronum ac defensorem sui delegit, diemque eius
solemni religione celebrat, ac ipse Dux Mantuanus sacris
interest quæ tum in æde Augustini peraguntur, & munus
honorarium ibidem ex more offert. Historiam totius rei
gestæ, portæ ciuitatis incisam esse referunt, extantque de
eadem hi versus:

*Vos patria ciues quibus hic Pater expulit olim
Bis Ligures, latumq; dedit bis habere triumphum,
Dum sua curriculo bis festa darentur eodem,
Este boni memores & grati aduertite dona.
Mecum huic laudes, mecum hic celebretis honores.
Protector patria, spes & tutissima nostra
AVGVSTINE PARENS Doct̃or, lux incl̃yta sacri
Eloquij, innumeras Ocneas accipe laudes.
Tendimus inde manus humiles oculosq; precantes.
Venturo aduersis, vt quondam protege princeps.*

Ocneas,
id est,
Mantua-
nas. fuit
enim
Ocnus cõ-
ditor
Mantua.

ita S. Præsul Italiam suam ope suâ protegit & sacris suis
exuijs amplius exornat quàm quidquid in ea antiquitas
rerum memorabilium & illustrium monumentorum fuit
admirata. in cuius laudes plura hâc congerere, est aquas
mari

mari & solilucem addere. quare manum de tabula tollo, & vt Valer. Maximus magnum illud eloquentiæ flumen Demosthenem laudaturus, hoc vnum dixit: Demosthenes est, cuius, inquit, solo commemorato nomine maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur: ita & ego sufficienter omnia me dixisse arbitrabor, hoc vnum si dixerō: Aurelius Augustinus Hipponensis Episcopus est, pleno namque elogio, cum nomino, Augustinum, laudo; & totum nescit quisquis hoc audit: nam totum scribere nullus potest qui omnium calamos dudum hebetavit.

Quare tot SS. PP. & Oecumenicorum Conciliorum testimonijs, quæ omnibus obuia sunt, contentus, lubens supersedeo. Hoc tamen omittere non possum, geneas quasdam siue genealogias à nonnullis ingeniosè esse deductas quæ suadere conantur magnæ memoriæ Philippum II. Hispaniarum nuper regem, affinitatem cum S. Augustino contraxisse, idque ratione matrimoniorum quæ Gothorum principes (à quibus reges Catholici descendunt) cum gente Aurelia, è qua Patritius Augustini pater, & cum familia Trebellia, è qua eius mater Monica originem duxit, inijsse dicuntur. de quo plura vide in descriptione Africæ apud Ioan. Bapt. Gramaye, & quanto fundamento nixa sint, iudica. qui addit se Argellæ vidisse quosdam Azuages iactantes idem genus & affinitatem S. Augustini, gerentes non tantum Crucem in manu, sed etiam monachorum ferè ritu contra morem Mahometanorum, caput in coronam tondentes. Qua occasione de tonsura coronæ eius, adijcio, non rectè S. Augustinum depingi cum promissa & proluxa barba, sed vel raso, aut saltem detonso mento, barba inquam præcisa & decurtata. in Concilio siquidem Carthaginensii IV. cui ipse S. Augustinus interfuit, Canon

S

statuitur

statuitur vt Clerici nec comam nutriant nec barbã, quem Canonem S. Augustinum fuisse transgressum, nefas est dubitare. cui Canoni conformes sunt plures antiquæ imagines & statuæ in Ecclesia nostra Tungerloënsi in quibus raso mento sine barba sanctus Augustinus representatur. Sicuti nec communis illa pictura probanda est in qua puerulum ad pedes eius inuenias qui è mari in paruum puteum conetur omnem aquam colligere. quod desumptum videtur ex fictitia quadam epistola S. Augustini ad Cyrillum Hierosolymitan. in qua S. Hieronymus ad Augustinum de æterna beatitudine contemplantem introducitur hæc illi intimando: Augustine Augustine putasne breui immittere vasculo mare totum? potius totum mare in arctissimo clauderetur vasculo quàm gaudiorum & gloriæ quibus beatorum animæ sine fine potiuntur minorem intelligeres particulam. Quæ licet sint plausibilia, falsò tamen sub Augustini nomine in prædicta epistola erroribus & hæresibus plena ab impostore barbaro (ita eum vocat Molanus) astruuntur. Recentiores (sicut falsitas facillè variat) narrant puerum Iesum Augustino apparuisse dum meditaretur libros de Trinitate, quodque ille aquas totius maris paruo puteo voluerit includere. Vt referantur, inquit Molanus de piet. cap. 68. magis plausibilia sunt rudi populo, quàm veritati innixa. Toleranda est vbi posita est, sed non extendenda, vt idem ait. De nigro eius habitu & famosa illa corrigia hinc plurima possem differere, sed prouinciam hanc lubens cedo fraterno & doctiori calamo à quo præuentus sum. Corpus sanctissimi huius Episcopi, Hippone in Sardiniam translatum est anno 504. quam Translationem Ordo noster colit 11. Octob. inde verò anno 725. operâ Luitprandi regis Longobardorum.

dotum pompa solennissima Papiam translatum est, vbi hodieque requiescit, sicut & matris eius Monicæ corpus in Belgico monasterio Aroasiensi diocesis Atrebatensis dicitur requiescere, quò translatum putatur anno 1162.

CAPVT XXIV.

De S. Gregorio Thaumaturgo.

Gregorius Neocæsareæ Episcopus ob prodigiorum magnitudinem dictus Thaumaturgus, id est, miraculorum patrator, huic agmini meritò venit adscribendus, vtpote qui meritis virtutum suarum grauissimam pestem sub Gallo & Volusiano Impp. totum orbem penè depascentem per angelos malos vlciscente Deo hominum impietatem, immissam, in diebus carnis suæ à Neocæsareæ gentilitijs tum adhuc erroribus dedita, propulsauit: nam Episcopus factus septemdecim tantùm Christianos in ea inuenit. Rem gestam narrat cognominis eius Nyssenus in vita hisce penè verbis: Feriæ publicæ & vniuersales erant Neocæsareæ dæmoni cuidam domestico, patrio ritu ac more solemniter celebrari consuetæ, ad quas vniuersa propemodum multitudo ex tota ea regione confluebat, atque eorum qui concurrerant theatrum plenum erat, quiq̃ postremi affluerant subsellijs vndique superfundebantur atque omnibus ad spectacula & acroamata orchestram intueri cupientibus, plena scena tumultus & trepidationis, irrita præstigiatoribus mirabiliumque spectaculorum artificibus ostentatio erat, tumultu sese mutuo constipantium non modò oblectationem
S 2
musicæ